

logia Sacra
sis, ubi Apol-
linis oraculū
versatur.

II.

III.

Matth. 19.
Nemo bonus,
nisi solus Deus
Bonitas Dei
in eo patet, q;
ad se vocat,
petere iubet,
& salutē pol-
licetur: idq;
immeritis, i-
mō malō me-
ritis.

IV.

V.

Malach. 3.
Rom. 2.

spirationē spiritus audiatur: quod plerunq; accidit Prophetis. Præterea sunt quibus datur & foris A
& intus audire. De isto auditu loquitur Apostolus Rom. 10. cum dicit: itaq; ex auditu fides est. c.
Quod Deo sit robur. Notum est, ista duo ad hoc requiri, ut in Deum & possit ac debeat sperari. Ni-
si enim posset, rursus nisi & velle etiam seruire, & quacunq; in re opem adferre, insipiens planè fue-
rit, si quis fiduciam aliquam in illum collocet. Iam verò cum possit, & pro sua bonitate velit quoq;
imò solus possit ac velit: (ut enim in Esa. est: Non est Deus saluans præter me. & Propheta hoc
sensu ista quoque Deo dat, tanquam quæ illi soli dari possint) ista duo absq; vlla contractione se-
quuntur. Primum, Deum solum esse, in quo sit fidei certitudini locus, in quem sperari, certò possit.
Alterum, istam illi fiduciā deberi quoq; ob se, quòd ea sit bonitatis natura, ut bene de se sperari exi-
gat: ut nihil possit Deo & indignius & molestius accidere, quàm si quid de illius bonitate & p̄narā
hæsitetur. Et hinc est, quòd vniuersa Scriptura propè nihil aliud inculcat, quàm primūm De-
um esse omnipotētem, suorum seruatore, deinde & beneuolum & summè bonum, qui non pos-
sit deserere sperantes in se: ad hæc & iustum ac fidelem, qui vnicuiq; retribuatur iuxta facta ipsius: id
quod & Augustinus hoc loco notauit.

Et tibi Domine bonitas. Quæ est ratio, quòd Deum alloquitur hac particula? Commemoratione
diuinæ bonitatis, animo per illius suauitatem, nunquam satis expēsam, in Deum optimum rapitur.
Est enim mira huius iucunditas pectori fide prædito. Omnipotentiam Dei agnoscit Mundus, a-
gnoscunt & dæmones: at bonitatis illius gustus non ita vulgaris est. Ille namq; credentium tātum
est, electorum & filiorum Dei. Huius itaque admonitus Propheta, per apostrophen dicit: Et tibi
Domine bonitas.

Quia tu reddes vnicuiq;. Ergo retributio est apud Deum. Igitur sensus illi est rerum nostrarum,
mentium & actonum. Cōtra illud Malach. Vanus est qui timet Deum, c. Deinde, Vnicuiq; inquit.
Igitur cum impijs tūm pijs erit retributio: nec erit vlla personarum acceptio apud eum, qui reddet
vnicuiq;. Tertio dicit: Iuxta factum suum. Ista est æquitas diuinæ retributionis. Non potes ergo igno-
rare, quid à Deo sit expectandum. Tam enim certus esse potes, quàm sis accepturus tribulatio-
nem, quàm certus es de animi & facti tui qualitate.

PSALMVS LXIII.

PSALMVS DAVID, CVM ESSET IN SOLITVDINE IVDÆÆ.

ARGVMENTVM PSALMI.

Extitulo satis liquet, Prophetam duo canere. Primum, quam consolationem in Deo, cum solitudine
Iudææ satis horrida cōstitutus esset, fortitudinis, gloriæ ac bonitatis ipsius, quam toties expertus erat,
contemplatione conceperit. Alterum, quòd hostes suos nihil aliud, vtv̄t animam suam ad perdendū B
querant, maneat, quàm certum exitium, ac tale, quòd putabant ipsi in ista solitudine futurum.

VERS. I.



DEVS Deus meus es tu, mane vigilo ad te, sitit ad te anima mea: concupiscit
te caro mea, in terra solitudinis ac siticulosa, in qua non est aqua,
2. Si quasi in sanctuario contemplor te, vt videam fortitudinem tuam
& gloriam tuam.

3. Quoniam melior est bonitas tua, ipsa vita: labia mea laudabunt te.

4. Sic benedicam tibi in vita mea: in nomine tuo leuo manus meas.

5. Velut adipe & pinguedine satias animam meam, & labijs exultationis laudat os
meum.

6. Quando tui memor sum super strato meo, & in vigilijs de te meditor.

7. Quòd factus es mihi auxilium, & in umbra alarum tuarum exulto.

8. Adheret tibi anima mea, dextera tua sustentat me.

9. Ipsi verò animam meam ad vastandum querunt, venient ad inferiora terra.

10. Distrahent illum in aciem gladij, pars vulpium erunt.

11. Rex autem letabitur in Deo, glorificabitur quisquis in illo iurat, quoniam obstrue-
tur os loquentium falsum.

LECTIO.

Concupiscit te caro mea.] Ebr. כָּרְוָה לִּי בָּרֶחֱם גְּרֵע. & vulg. Lat. Quàm multipliciter tibi caro mea. Hieron. De-
siderauit te caro mea.

Vers. 1.

Sic quasi in sanctuario contemplor te.] Ebr. בֵּן בְּקֶדֶשׁ חִוִּיתִיךָ. Græc. & vulg. Lat. Sic in sancto apparui tibi.
Sic & Hieron. Felix: Sic in sanctitate vidi te. Sic & Pagninus.

Vers. 2.

Ad vastandum querunt.] Ebr. לְשַׂרְעָה. Græc. & vulg. Lat. In vanum. Hieronymus: Interficere querunt
animam meam.

Vers. 9.

Distrahent illum.] Ebr. יִגְרְרוּהוּ. Græc. & vulg. Lat. Tradentur. Hieron. Congregentur. Pagn. Occident eum.
Iustinianus: Deturbabuntur.

Vers. 10.

Gloriabitur.] Ebr. יִתְהַלֵּל. Græc. & vulg. Lat. Laudabuntur. Hieronymus: Laudabitur. Sic & Iustinian.
& Felix, & Pagninus.

Vers. 11.

Loquentium falsum.] Ebr. שֶׁקֶר. Græc. & vulg. Lat. Iniqua. Hieronymus: Mendacium. Sic & Iustinian.
& Pagninus.

Verbo